



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

8. Trina mersio in baptismo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Flamen seu votum, desit si fluminis unda,
 Et Sanguis Triadis fusus amore, beat.
 Sic Trias (a) averſæ purgat contagia mentis,
 (b) Transfusam terno diluit imbre luem.

(a) Peccatum originale, & mortale actuale, est quadam averſio a Deo. (b) id est, originale, quod transfunditur in posteros per generationem.

SYMBOLUM 8.

Trina mersio in baptismo.

Vincitur stygijs natus (a) mox pufio loris,
 Fitquè sub immani dæmone mancipium.

Exorcizato, pulsoquè trifauce molosso,
 Diluit infantis mersio trina caput.

Eripit hunc orco sacri data gratia fontis,
 Hæredemquè suæ vult Trias esse domûs.

(a) Summum SS. Trinit, mysterium in generatione hominis prius reſeratum est, sed postea in ejusdem regeneratione, puta in baptismo aperte declarandum & profitendum.
 Ex Corn. a Lap. in Gen. 1.

SYMBOLUM 9.

Tria vulnera naturæ lapsæ.

Hebetudo intellectûs, voluntatis rebellio, memoriæ imbecillitas.

Sunt tria naturæ ter maxima vulnera lapsæ

Vulnera corporeis deteriora malis.

Mens tenebris squallet, rationi adverſa voluntas,

Legibus adverſas pronior iræ vias.

Virtutum erasæ species quot mentis ab arce?

Luce Trias læsis partibus affer opem,